

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 2: De aliis peccatis

Caput 1: De peccato (4)

Ieronimus:

Nulla alia causa fecit difficultatem bene vivendi,
quam longa consuetudo peccandi, que nos ita tenet addictos,
ut quoddam ius in natura videatur habere.

Seducitur ut consentiat evidenter ignorat. De infirmitate autem Petrus deliquit,
quando ad metum interrogantis ancille Christum negavit.

Gravius enim in infirmitate quam ignorantia delinquere est,
et gravius est industria quam infirmitate peccare.
Industria namque peccat, qui studio ac deliberatione mentis malum agit,
infirmitate autem qui casu ac precipitatione delinquit.
Nequius autem qui de industria peccat quam qui ignorans, qui non solum non bene vivunt,
set adhuc bene viventes, si possunt a veritate divertunt.
Sunt enim qui ignorantes peccant et sunt qui scientes.
Sunt etiam qui per ignorantie excusationem scire nolunt,
ut minus culpabiles inveniantur qui tamen seipsos non muniunt set magis decipiunt.
Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet, nolle autem scire, ad contumacem superbiam.
Voluntatem quippe christi domini nolle scire,
quid aliud est quam velle eum superbiendo contempnere?
Nemo igitur de ignorantia se excuset,
quia deus non solum eos iudicat, qui a cognitione sua revertuntur,
set etiam illos qui nesciunt, testante eodem domino per prophetam:
Disperdam, inquit, homines a facie terre, et eos qui avertuntur post tergum domini,
et qui non quaesierunt deum, nec investigaverunt eum.

Dicit enim in epistola ad Demetriadem:
Neque enim alia causa facit difficultatem bene videndi,
quam longa consuetudo peccandi quae nos ita tenet addictos,
ut quoddam vim naturae videatur habere.

Odo Cluniacensis, *Collationes*, 2.13 (PL 133, col.561B).

...qui uero seducitur quid consentiat evidenter ignorat. De infirmitate autem Petrus deliquit,
quando ad metum interrogantis ancillae Christum negavit;
unde et post peccatum amarissime fleuit.
Gravius est infirmitate quam ignorantia quemquam delinquere;
graviusque industria quam infirmitate peccare.
Industria namque peccat qui studio ac deliberatione mentis malum agit;
infirmitate autem qui casu uel praecipitatione delinquit.
Nequius autem et de industria peccant qui non solum non bene uiuunt,
sed adhuc et bene uiuentes, si possunt, a ueritate diuertunt.
Sunt enim qui ignoranter peccant, et sunt qui scienter.
Sunt etiam et qui pro ignorantiae excusatione scire nolunt,
ut minus culpabiles habeantur qui tamen seipsos non muniunt, sed magis decipiunt.
Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet; noluisse uero scire ad contumacem superbiam.
Voluntatem quippe proprii Domini uelle nescire,
quid aliud est quam uelle Dominum superbiendo contempnere?
Nemo igitur de ignorantia se excuset
quia Deus non solum eos iudicat qui a cognitione sua reuertuntur,
sed etiam et illos qui nescierunt, testante eodem Domino per prophetam:
*Disperdam, inquit, homines a facie terrae, et eos qui auertuntur post tergum Domini,
et qui non quaesierunt Dominum, nec inuestigauerunt eum.*

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.17.3-6 (CCSL 111, P. Cazier ed., pp.130-2, ll.16-42).